

1044 of m 27

W. & Frater

Bibl. U.

ACTA

SYNODI DIOCESANAE LUCEORIENSIS

PER

BERNARDUM MACIEJOWSKI

EPISCOPUM LUCEORIENSEM

tribus postremis diebus Februarii

Anno Domini MDLXXXIX

CELEBRATAE.

B D I D I T

ZENO CHODYŃSKI,

Regens Seminarii Dioecesani Vladislaviensis.

307


—
VARSAVIAE.

Typis Czerwiński et Comp., ad Plateam Sto-Krzyzka N. 1325.

—
1875.

49

5



ACTA
SYNODI DIOCESANAE LUCEORIENSIS
PER
BERNARDUM MACIEJOWSKI
EPISCOPUM LUCEORIENSEM

tribus postremis diebus Februarii

Anno Domini MDLXXXIX
CELEBRATAE.

ZENO CHODYŃSKI

Regens Seminarii Dioecesani Vladislaviensis.

VARSAVIAE.

Typis Czerwiński et Comp., ad Plateam Sto-Krzyzka N. 1325.

—
1875.



01949

APPROBATUR.

die 10 (22) Januarii 1875.

Administrator Dioecesis Vladiislaviensis seu Calissiensis

Florianus Kosiński.



Дозволено Цензурою.

Варшава 25 Февраля 1875 г.

PRÆFATIO EDITORIS.

Aurea aetate Sigismundi I Poloniae regis elapsa, tanta mala in Ecclesiam polonam regnante ejus filio Sigismundo Augusto irruerant, ut qui eum secutus est Stephanus Batory, et Reipublicae gubernandae scientia, et verae fidei tuendae studio aliis longe superior, vix iis mederi posset. Minus infestam expertus est fortunam Sigismundus III, quamquam malum tantum erat, ut jam non privata diligentia, sed publico praesidio defendi et compripi debaret, quum rem universam peteret. Divinae profecto providentiae tribuendum est Ecclesiam nostram his calamitosis temporibus Episcopos habuisse viros summos atque Reipublicae amantissimos, qui omnem curam sollicitudinemque suam converterunt, ut quod damni majorum sacra fides a Lutheri errore retulerat, pro viribus resarcirent. Quod ut eo securius assequerentur, non aliam viam et rationem sibi eligendam putarunt, quam quae ab universa Ecclesia S. semper maximo cum fructu tenebatur. Hinc illa series Synodorum Provincialium et Dioecesanarum toto XVI saeculo, quibus tum populi, tum cleri haereticis corruptelis depravati delapsa disciplina ad pristinam severitatem revocata est. Horum praestantisimorum virorum, qui primi eo saeculo imminens periculum avertere conabantur, agmen dicit Joannes Łaski, Cancellarius et Primas Regni, claudit autem Stanislaus Karnkowski, vir et amore Ecclesiae et zelo extirpanda haereseos optimorum quorumque non dissimilis. Ex Episcopo Vladislaviensi Archiepiscopus Gnesensis electus,

quae Sedes in Republica nostra praestantissimae erant, quum in utraque plurimas Synodos Dioecesanas summa cum utilitate celebrasset, Synodum Provincialem saec. XVI exeunte Petricoviam indicere statuit haud temere sperans, optime hac re necessitatibus totius Regni consuli posse. Ut autem opus hoc amplissimum suarum rerum gestarum esset monumentum in tractatione ejus eo maiorem soleritiam adhibuit, quo ubiores inde fructus sperabantur. Primum itaque, quum omnes Episcopos consilii sui conscos fecisset, Concilia Dioecesana, prout mos ferrebat, haberi jussit, id in animo habens, ut clero inferiori occasio offerretur opiniones et desideria sua manifestandi. A secretis Synodi dictus est Hieronymus Rozdrażewski, Cujaviensis Antistes, non solum magna pietate conspicuus, sed etiam unus ex omnibus Regni Episcopis, qui optime de Ecclesia S. meriti sunt, commendandus ¹⁾. Vir ille clarissimus persuasum sibi habuit non posse tantum negotium rite pertractari, nisi prius necessitates cuiusque Dioeceseos cognoscantur. Itaque acta et statuta Synodorum Dioecesanarum antea habitarum collegit et attente perlustravit, quo facilius singularum Dioeceseon ratio haberi possit. Ex ea collectione Synodi aliae in tabulario Venerab. Capituli Vladislaviensis hucusque exstant, aliae forte subiectae a Josepho Załuski, minus probe furtim surripiente quae in bibliothecis raritate commendabantur. Quum autem a. 1871 duas Gnesnenses Synodos ad eandem collectionem pertinentes typis mandassem ²⁾, jam modo Luceoriensem Synodum a Bernardo Maciejowski 1589 a. coactam, in lucem emitto ³⁾.

¹⁾ Adjutor ei additus est Stanisl. Krasiński, Archidiac. Cracovien.

²⁾ Synodus Archidioecesana Gnesnensis presidente Stanislaw Karkowski Archiep. Gnesnen. et Primate Reg. Pol. Lovicji Anno Dni MDLXXXIII celebrata, nec non Articuli alterius Synodi ejusdem Dioecesis sub Jacobo Uchański Archiep. habitae. Vars. typis Czerwiński.

³⁾ Quamquam ex Actis Synodi non est manifestum ubi sit habita, ex argumento tamen colligere fas est, eam cele-

Primo obtutu videre facile est omnia hujus Synodi statuta argumento multum discrepare ab articulis in Sy-nodo Provinciali proponendis, cuius discriminis rationem inveniemus, si animum advertamus ad tempus, quo utraque Synodus celebrata sit. Maciejowski Bernardus, quo auctore ea Synodus habita est, vir egregius atque de Re-gno nostro et praesertim Ecclesia optime meritus, rerum necessitate coactus, jam pridem Synodum convocaturus erat eamque mense februario perfecit, quum litterae Stanislai Karnkowski Synodum Provincialem in diem 2 Octo-bris convocantes, diem adscriptum habeant 24 Augusti. Etsi autem statuta utriusque Synodi longe discrepant, Sy-nodum tamen Luceoriensem multum adjumenti Hieronymo Rozdrażewski in arduo ejus negotio praestitisse, argumento nobis esse possunt nonnulla placita ex Luceo-riensi in acta Provincialis Synodi totidem fere verbis translata.

Exemplum, quo in praesenti opere excudendo usus sum, unicum est apographum ab Hieronymo Rozdrażewski descriptum, qui ne officio suscepto deesset, primum statuta Luceoriensia perspecta habere voluit, eisque ad calcem sive ipse, sive per anagnosten plurimas notas adjecit, alias quidem verissimas, alias a veritate alienas. Non abs re fore putavi, si easdem meae editioni apponnerem, suo quasque loco adjiciens atque asterisco mu-niens; multum enim conferunt ad cognoscendas plurimas res Theologiam, Jus Canonicum atque liturgicam praxim spectantes; — haud mediocrem etiam praebent lucem stu-dio historiae deditis hanc Regni nostri epocham iusti-gantibus. Fatendum tamen est, non omnes notas erroris immunes esse, quum Hieronymus Rozdrażewski, quam-quam doctrina magna et majori adhuc studio ac labore

bratam esse Janoviae, quae fuit caput Dioecesos. Statuta Synodi Dioecesim Luceoriensem non raro Podlachiensem, vel potius Podlassiensem vocant. Quae hodie dicitur Podlachiensis Dioecesis, pars tantum est quaedam veteris Luceoriensis.

excellens, in pluribus theologicis, quaestionibus minus recte judicasse et docuisse videatur. Igitur ne lectores rerum theologicarum ignari in errorem inducerentur, notas erroneas emendandas esse putavi, atque meum judicandi modum in infima quaque pagina adscripsi.

In ipsa Synodi compositione nil immutandum esse censui, quamquam singulorum articulorum inscriptiones numeris signandi essent, ut manifestum fieret, cui quisque Sessioni pertineret. Hoc velim meminerit Benevolus Lector, Synodum ut titulus demonstrat, more solito tri-duo absolutam esse, dum acta diei tertiae inscriptionem habeant: „Sessio II.“ Mea quidem opinione dies prima, i. e. 26 februarii, destinata est sollennitatibus quibusdam praeviis observandis. Ea itaque die sanctissimum Missae sacrificium de Spiritu S. habitum est, supplicationes solennes aliquae ritus et caerimoniae ecclesiasticae, prout a Pontificali Romano praescribuntur; deinde probatum est, omnesne qui vocati erant coram adessent, causaeque excusantes perspectae; tum si qui pravorum morum monendi erant, ab Episcopo moniti sunt; denique professio fidei, in forma a nuper celebrata Tridentina Synodo praescripta, ab omnibus facta; postremo articuli in Synodo discutiendi hac die propositi sunt. Prima itaque dies, his absolvendis destinata, Secretario Synodi „Sessionis“ nomine non videbatur signanda esse. *Decretum secundum* exhibet dies altera, qua Sessio prima rem disciplinariam ecclesiasticam spectans habita est,— inde huic Sessioni competit inscriptio: „Sessio I,“ die 27 februarii habita.

Acta Synodi manifeste indicant jam eo tempore placita Lutherana ad inferiorem Clerum penetrasse, quum Episcopus praecipiat, ut denuntientur Sacerdotes sub utraque specie SS. Eucharistiam distribuentes. Profecto quum ne unum quidem Seminarium exstaret, quum summa adhuc esset scholarum ecclesiasticarum paucitas, non est cur mirum Clerum nullam partem doctrinae firmiter tenuisse, atque in magna officiorum ignorantia versatum esse; ignorantiam morum depravatio sponte secuta est. Ex actis Synodi non satis patet, quale consilium sibi ineundum

esse Episcopus statuerit, ut tanto malo medeatur, certum enim esse videtur in contextu articuli quaedem desiderari. Id solummodo liquet, jam tum Seminarii instituendi consilium initum esse, ut praecepsis Concilii Tridentini satisficeret. Consilium saluberrimum difficultates quaedem impediverunt, nam in fine articuli legimus Episcopum suae tutelae subjicere Clericos tum ordinandos, quum jam in sacris constitutos. Quantae curae totus Clerus, praecipue junior, Episcopo fuerit, ut moribus ejus quam optime consulatur, singula statuta Synodi demonstrant. Synodus enim praescribit, quibus libris bibliotheca cujusque Sacerdotis constare debeat; in inobedientes poenam suspensionis et amotionis a beneficio statuit. In votis habet ut Vicarius in convivio sit apud Parochum, immo si fieri potest, et Magister scholae, qui tum certo certius caelebs erat. Quae convivii et domicilii communitas valde commendanda, jam enim non est quaerenda societas hominum mundanorum, neque tempus in cauponibus terendum; periculum etiam nullum a coquabus et ancillis, quae praeципiente Synodo sub alio tecto habitare jubentur. Vestimenti splendorem atque nimium ornatum vetat; permittit ut barba alatur, modo non nimis promissa. Fluentem atque procumbentem disciplinam Cleri restituturus, abjectum institutum Decanorum Ruralium Episcopus in integrum reponit, quae eorum officia refert, totamque Dioecesim in Decanatus dividit, et quae sint singulorum Ecclesiae, enumerat. Pluralitatem beneficiorum, maximum Ecclesiae detrimentum, vetat. Damnat antiquum morem, ne quid a Sacerdotibus pro auditis confessionibus exigatur; invaluit enim, ut poenitentes confessuri munus aliquod Sacerdoti offerrent; feminae panem a se coctum donabant, ipsi etiam (Maciejovio) Episcopo Cracoviensi munus tale offerrebatur ¹⁾. Quod adtinet ad Sacramentum matrimonii, stat pro sententia contrahentes esse ministros Sacra-

¹⁾ Łętowski, Katalog biskupów, pralatów i kanoników krakowskich, II, 157.

menti, quae opinio Hieronymo Rozdrażewski minime placuit; ad calcem enim articuli afferit decretum Concilii Tridentini, nihil in hac quaestione affirmantis. In dijudicanda causa Ecclesiae Prostинensis, quae miraculosa ex revelatione cujusdam mulieris habebatur, eximiam ostendit prudentiam; Sacerdotes enim omnes, ne Ecclesiastam miraculosam divulgarent vetuit, indulgentias ut populus hac occasione lucraretur permissit, ipsam mulieris revelationem celari jussit. Maxima et gravissima Synodi occupatio est in dioecesana Liturgia ordinanda, eaque applicanda ad nuper correctum Missale et Breviarium Romanum. Non alia nisi Romana Breviaria praecepit; in Missae S. officio correctiones quasdam adhibet, quae quanti sint momenti omnibus Liturgiae nostrae studio deditis, non est necesse ut moneamus. Cantum choralem magis congruentem cultui Divino esse putat; de cantu, quem figuralem vocant, haec tantum dicit: „fiat talis, qui cultui Divino sit conveniens.“ In designandis festis diebus et jejunio determinando consuetudinem sequitur provinciae rathenae, cuius incolae strictissime et dies festos et jejunii observabant, simulque Sacerdotes curare jubet ut abusus tollantur, atque peccata a populo diebus festis committi solita praecaveantur. Non parvi faciendum, praesertim a Theologo, Historico, Liturgista, Calendarium Dioeceseos Luceoriensis ab Hieronymo Rozdrażewski notis munitum. Mentionem ibi intulit dierum semifestorum (S. Dorotheae), plurium consuetudinum, quae inde a paganis majoribus adhuc illa aetate obtinuerunt, praecepitque Clero, ut mores corrupti emendentur. Commemorat dies abstinentiae hodie jam obliteratos v. g. diem S. Marci. Pluries etiam occurrit mentio cantilenarum nobis ignotarum, quas canere populo certis quibusdam diebus solenne erat, easque utpote fidei articulis non satis consonas, vituperat.

Quum itaque tantum sit Synodi argumentum, operae pretium me facturum puto, si typis eam mandaverim, persuasumque habeo omnem, qui studium suum in ea attente volutanda locaverit, suavissime affectum iri. Neminem enim fugit, eam inter omnes Synodos singulare

quodam charactere distingui, quippe quae tanquam monumentum inter pristinam et illam quae post celebratum Concilium Tridentinum invaluit disciplinam, positum habere possit. Historiae ecclesiasticae peritis notum est, Ecclesiam S. imminente perniciosa Lutheri ejusque fautorum haeresi, necessitate coactam ut disciplinam collapsam ad severiora instituta revocaret, omnes vires suas in unum colligere coepisse etiam in rebus, quae prius a nutu et arbitrio Episcoporum pendebant. Quae saluberrima instituta quum non statim apud nos recepta sint, fit ut Synodus Maciejoviana, liturgica praesertim parte spectata, omnibus temporibus gravissimum cuivis viro ecclesiastico futurum sit monumentum. Non sine magno dolore fateri cogor, Liturgiae nostrae studium penitus abjectum esse, quum paucissimi sint, qui ei rite tractandae operam suam tradiderint. Nihilominus plurima sunt in ea, quae tum omnium, tum nostram maxime attentionem merentur, quia (ut alias utilitates omittam) religionem, pietatem, altitudinem atque praestantiam virtutum quarumlibet apud majores nostros manifestant. Ex iis, quae de cantu divino et SS. Missae Sacrificio in Synodo statuta legimus, concludere licet, ritum in pluribus minoris momenti rebus diversum ab hodierno Romano fuisse. Et profecto, si in Gallia usque ad novissima tempora tot fere varia adhibebantur Breviaria et Missalia, quot erant Dioeceses, nil obstat, quin eandem in Polonia extisset diversitatem admittamus. Opinio mea vel hoc confirmatur, quod in Ecclesia nostra viguerunt, hucusque magna cum pietate asservantur singulares quaedam formae cultus Divini, alibi prorsus ignotae. Ejusmodi sunt: Missa Rorate ¹⁾, Sepulchrum D. N. J. Chr. feria VI et Sabbato Majoris Hebdomadae publicae venerationi exstrui solitum, Supplicationes, Passio D. N. J. Chr. (Gorzkie żale) sermone ligato a populo Quadragesima decantari solita, alia

¹⁾ Solennitatem puto, non Missam quae inter Votivas in Missali habetur.

id genus. Neque etiam praetermittendum, sua quamque Dioecesis habuisse Missalia librosque alios liturgicos. In Missalibus Cracoviensibus, hucusque existantibus, plurimas res invenimus, quae vitam religiosam majorum ante oculos nobis ponunt. Certo certius omnes libri liturgici, Breviaria, Cantonalia, Antiphonaria, Agendae, Ritualia, Coerimonialia, alia, ut ex una parte communionem arctissimam nostrae Ecclesiae cum Ecclesia Romana exhibent, ex altera parte diversitatem quandam singularem ritus manifestantia, perenni erunt documento, quanta fuerit religionis sanctitas cultusque Divini ardor majorum nostorum. Dolendum itaque, haec carissima monumenta vitae religiosae populi nostri hodiernis temporibus valde rara esse, quum major eorum pars deleta sit; paucissima fortasse pulveris nubibus obducta longo tempore in armariis ignota quiescent, donec casu quodam detegantur ¹⁾.

Haec Synodus Maciejovianam legenti in animo obversabantur, hisque inductus sum, ut eam typis mandarem; non est enim, quod sciain publici juris facta, quum nulla collectio eam exhibeat, in nulla praestantiori mihi nota bibliotheca privata inveniatur. Bonae spei plenus sum me hac Synodi editione ad vetustatem cognoscendam aliquid collaturum, atque memoriam tanti Antistitis ad posteritatem propagaturum. Qnum autem in perquirendis Synodi Maciejovianae actis, in aliarum Synodorum Dioeceseos Luceoriensis vestigia incidisem: earum seriem, quantum mihi notae sunt, editioni praesenti adjungo, id in animo habens, ut Venerabilis Clerus perspecta rei gravitate, amore vetustatis accensus, studii amoenitate alle-

¹⁾ Quantae jucunditatis, quanti momenti viro ecclesiastico sit studium Liturgiae nostrae perspicet quisque, qui attente perlegerit articulos liturgicos a Carissimo fratre meo Stanislao scriptos in Encyclopaedia ecclesiastica, quae hoc tempore Varsaviae typis editur auctore Clarissimo Nowodworski, meo quondam professore in Alma Academia Romano-Catholica Varsaviensi.

etus, ad inquirenda vetera monumenta inducatur, atque
oblivioni eripiat, quae adhuc salvari possunt. Lucubra-
tionem meam in lucem emitens, id tantum exequi puto
quod cujusque Sacerdotis Ecclesiae et patriae suae aman-
tis, sanctissimum est officium; spero etiam et confido
fore ut hic labor meus incitatus sit studium aliorum
ad investiganda et oblivioni erienda, quae adhuc su-
persunt monumenta honestissimae atque gloriosissime
antiquitatis nostrae.

SERIES SYNODORUM DIOCESANARUM LUCEOBIENSIA.

I. A. 1519 Statutum Dioecesanum **Pauli Algimunt**, ducis Olszanensis, episcopi, cuius meminit Synodus anno 1607 celebrata, tit. *De Decinis*. Statutum hoc formam Synodi habuisse colligimus e pluribus locis ejusdem Szyzkvianae Synodi, ubi mentio Statuti occurrit.

II. A. 1580 Synodus sub **Victorino Wierzbicki**, quam Synodus anni 1597, urgens executionem decreti de Tribunalio Judice ab ea facto, *Synodum primam vocat* ^{to 1589} Typis nondum edita. Vide *Decretales SS. Pontif. etc. pro Regno Poloniae* pag. 5.

III. A. 1589 Synodus **Bernardi Maciejowski**, quam nunc primum in lucem emittimus.

IV. A. 1597 Synodus ejusdem **Maciejovii**, celebrata Janoviae, typis itidem non edita; nonnulla tamen ejus de creta continentur in *Decretalibus SS. Pontif. etc. pro Reg. Pol.* pag. 46, 92 et alibi. Constitutiones Synodales Maciejovianas commemorat Synodus ab episcopo Szyszko wski celebrata; tit. *De Congregationibus Synodorum Decanalium* easdem in memoriam revocat, constitutionemque Synodalem de Decanis ab Maciejovio editam restituit, non aliunde certe sumptam, quam ex hac Synodo nunc typis vulgata. In ea enim Decanorum institutio, jam dum prorsus neglecta, revocata est, Decanatus in parochias divisi; Decanorumque officia sat accurate exposita. Jam autem Acta hujus anno 1589, et ejus quae proxime 1597 celebrata est Synodi, typis nunquam mandat esse, Synodus Szyszkoviana probat, quae injungens observationem nuper editarum Constitutionum, haec habet: „staf tuentes, ut has Synodales Constitutiones, aliasque consimiles Illmi D. Cardinalis Maciejovii, unusquisque Praelatus, Canonicus, Plebanus, Vicarius, Altarista aliquie eccl-

siaстici Ordinis Dioecesis nostrae *scriptas* habeant.“ (tit. *Conclusio et publicatio Synodi*).

V. A. 1607 Synodus **Martini Szyszkowski**, Janoviae d. 15 Septemb. et seq.¹⁾ celebrata, et Zamoscii eodem anno typis edita sub tit. *Synodus Dioecesana Luceorien-sis. Celebrata anno Domini MDCVII. XVII. Kal. Octob. et ab Illustrissimo et Reverendissimo Domino D. Francisco Simoneta Episcopo Fulginatensi, S. D. N. ac S. Sedis Apo-stolicae Nuntio approbata.*

VI. A. 1621 Synodus **Andreae Lipski**, typis vul-gata sub tit. *Synodus Dioecesana Luceoriensis, in anno Domini MDCXXI celebrata; sub Illustriss. et Rndiss. in Christo Patre, D. Andrea Lipski Episcopo Luceoriensi Cancellario Regni. Cracoviae in Offic. Fran. Cesarii, eod. an.* Hujus rarissimae Synodi unicum vidi exemplum in bibliotheca gentis Ossoliński, Leopoli.

VII. A. 1628 Synodus **Achacii Grochowski**, Jano-viae die 10 Maji. Occasionem celebranda hujus Synodi dedit Epistola Archiepiscopi Węzyk, Synodum Provin-cialem die 22 Maji Petricoviam indicans. Acta hujus Sy-nodi, nondum typis edita, consultationes complectebantur de iis, quae in Synodo Provinciali proponenda erant, de-legatique in Synodum Provincie mittendi in ea designati sunt.

VIII. A. 1641 Synodus **Andreae Gembicki**, typis vulgata sub tit. *Constitutiones Synodi Dioecesis Luceo-riensis, in anno Domini MDCXLII celebratae. Jussu Illm. ac Rndis. Domini D. Andreae Gembicki etc. editae. Cra-coviae in Off. Andr. Petricovi, eod. an. Episcopus Ole-rum alloquens ab his exorsus est: „Non mediocre con-*

ver.

¹⁾ In Proemio, exemplari impresso apposito, Szyszko-wski ex Luceoriensi in Plocensem sedem jam jam promoven-dus, labores Apostolicos in Luceoriensi Dioecesi exantlatos enumerans, haec dicit: „ultima manus in Dioecesana Synodo apponenda fuit, sed et haec difficiles successus habuit, nam prima ejus convocatio repentina et periculoso casu disjecta, vix iterum constitit.“

sternatus sum, Fratres Dilectissimi, ubi primum inaudivi Synodus per viginti duos fere annos in hac Luceoriensi Dioecesi non fuisse celebratam.“ Joannes Broscius autem in Oratione tunc habita, idem tempus definivit verbus: „ab annis prope viginti.“ Quae verborum discrepantia soluta erit, si admittamus Episcopum de postremo collecta Synodo typis edita a 1621 locutum esse, Broscium autem in mente habuisse Synodum Grochovianam a. 1628, de qua legi in Actiis Consistorii Lublinensis.

IX. A. 1684 Synodus Stanislai Witwicki, itidem typis impressa sub tit. *Synodus Luceoriensis et Brestensis per Illm. et Revm. DD. Stanislaum in Magna Witwica Witwicki etc. celebrata die Divo Hieronymo sacra trigesima mensis Septemb. A. D. 1684. Varsaviae excudebat Carolus Schreiber.* Witwicki in Oratione Synodum inaugurante diecit: „Quartus supra quadragesimum jam decurrit annus, Consacerdotes charissimi, cum Clerus Luceoriensis et Brestensis confiteretur Domino ex toto corde in Concilio et Sanctorum Congregatione.“ Itaque manifestum est inde a Synodo Gembiciana usque ad an. 1684 nullam Synodum collectam esse.

X. Doctiss. Jocher in opere *Obraz bibliograficzno-historyczny literatury i nauk w Polsce*, enumerans Synodos Luceorienses (tomo III, pag. 315, n. 7566), affert librum cuius inscriptio: *Constitutiones Synodales Dioecesis Luceoriensis et Epistola Pastoralis Maciejoviana, Varsaviae 1720 in 4, Joachim Przebendowski episcopo editum*¹⁾. Maximo cum dolore fateor me neque in ipsum librum incidisse, neque usquam mentionem ejus invenisse. Mea quidem opinione liber hic non continet acta novae

¹⁾) Jocher habet hoc ex Catalogo bibliothecae Congr. Scholarum Piarum Varsaviensis. Fabisz (Wiadomość o Synodach prowinc. i djacezal. Kępno 1861) enumerans Synodos Luceorienses, eundem affert librum; ex quo, quum liber annum 1720 praeseferat, falso infert eodem anno peculiarem quandam Synodum a Przebendowski celebratam esse.

et hucusque ignotae, ab episcopo Przebendowski collectae Synodi, sed potius reimpressae in eo sunt vel una vel plures antea collectae Synodi. Ad conjecturam hanc, forte non omnino veram, dicit me ipsa inscriptio libri. Inde enim a temporibus Jos. Załuski, qui editurus erat *Synodicon Poloniae Orthodoxae*, episcopis omnibus curae fuit antea celebratas Synodos vel universas, vel singulas typis mandare, cujus rei plura exempla affere possim. Non dubito, quin a veritate alienus non sim, si hoc anno nullam habitam esse Synodum affirmem. Inscriptio libri non videtur esse exacte expressa. Fortasse Cl. Andraszek libros Congregationis Schol. Piar. Varsavien. in Catalogum describens, incidit in exemplum alicujus Synodi Luceoriensis, (verosimiliter Rupniewsciana), inscriptione orbatum, cui adjuncta fuit Epistola Pastoralis Maciejoviana, eodem 1720 anno a Stanislaw Szembek Archiep. Gnesnen. edita (in fol. min.). Si enim Synodus hoc anno revera ab Episcopo Przebendowski et habita et typis vulgata esset, certe aequali ejus Josepho Załuski non esset ignota, qui jam tum consilium init typis excudendi omnes Synodos polonas; neque etiam omissa esset a Franc. Antonio Cwierzowicz, qui ad calcem *Dissertationis de Constitutionibus ecclesiasticis*, Cracoviae a. 1771 editae, sat accurratum adjunxit indicem Synodorum polonarum tam provincialium, quam dioecesuarum. Conjecturam meam ad veritatem proxime accedere manifestum fit ex Oratione a Vinc. Suchocki, Praelato Scholastico Luceoriensi, in Synodo Rupniewsciana habita, qui haec locutus est: „Quam (Synodum an. 1726) quadraginta et ultra annis orbis noster non aspergit.“ Intelligit anteactam Synodum an. 1684.

XI. A. 1726 Synodus Stephani Boguslai Rupniewski, Luceoriae in Ecclesia Cathedrali celebrata d. 21 Oct. et duobus seq. et edita sub tit. *Constitutiones Synodales Dioecesis Luceoriensis et Brestensis ab Ilmo Excellmo et Rmo DD. Stephano Boguslao a Rupniew in Januszowice Rupniewski etc. promulgatae etc. Varsaviae typis S. R. M. Scholarum Piarum, in fol.*

1768
XII. Denique **Andr. Załuski**, in Epistola sua, Syndicu Dioecesanam Cracoviensem indicans, quae mortuo Episcopo celebrari non potuit, asserit se Synodos magno cum fructu collegisse in Dioecesibus Plocensi, Culmensi, Luceoriensi, quum Dioeceseon earum Episcopus fuisse; prorsus tamen ignotum nobis est quando et ubi Synodum Luceoriensem celebraverit.

DE PROFESSIONE FIDEI
DECRETA ET MONITA

IX

SYNODO DIOCESANA

LUCEORIENSI

edita et promulgata

a

REVERENDISSIMO DOMINO DOMINO

BERNARDO MACIEJOWSKI

Dei et Apostolicæ Sedis gratia

EPISCOPO LUCEORIENSI

Anno Domini MDLXXXIX diebus 26,

27, et 28 Februarii.

Synod.

2



DE PROFESSIONE FIDEI ^{1).}

Omnis qui in Synodo Dioecesana existunt,
 Praelati, Canonici, Parochi, aut quicunque Eccle-
 siis Parochialibus quomodocunque praeverunt, pro-
 fessionem fidei antequam aliquid in Synodo in-
 choetur, juxta formam in Concilio Provinciali
 ex Bulla Pii IV Pontificis Maximi descriptam, re-
 prius bene perspecta (nam juramentum adhibetur),
 facere current.

Si qui etiam Sacerdotes et Clerici sint suspe-
 cti de fide, aut si sub utraque specie alicui san-
 ctam Eucharistiam dederint, istos in Synodo, aut
 etiam extra Synodus, Episcopo denuntiare tene-
 antur et sint astricti.

DECRETUM SECUNDUM ^{2).}

Parochorum Examinatores sex singulis annis
 in Dioecesana Synodo proponere, qui Parochis
 omnibus placerent, et ab universis probarentur,
 SS. Concilium Tridentinum decrevit. Sed quoniam
 usque adhuc invenire difficile est qua ratione id
 fiat, interim Nos curabimus, ne quisquam Paro-
 chorum sine praescripto examine instituatur.

¹⁾ Actum in prima Sessione.

²⁾ Hic et qui proxime sequuntur articuli, in se-
 cunda Sessione decisi esse videntur.

**DE PAROCHIS ILLITERATIS
et imperitis.**

Ignorantia cunctorum errorum mater, maxime in Sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis suscepérunt. Si enim in laicis christianaे doctrinae inscītia vix tolerabilis est: quanto magis in iis qui praeſunt, nec excusatione digna est, nec venia. Scripturārum ignorantia, Christi ignorantia est. Itaque Parochi nostri illiterati et rudes, saltem Catechismū parvum jam tandem ediscant ut debent quam diligentissime *, ne aliquando cogamur, non sine acerbo et gravi quorundam dolore, eos a susceptōrum Ordinū exercitio suspendere, aut denique gravius in eos, juxta Sacrorūm Canonū constitutiones, animadvertere.

*Hoc totum lineis notatum omnino aufērendum videtur utpote rigidum nimis; et insuper hinc Parochi aliqui acciperent aufugiendi occasionem. Nunquam ergo Parochi propter ignorantiam sunt a Sacrificio suspēndi, dummodo utcunque intelligent quod legunt in Missali. Ab audiendis autem Confessionib⁹ possint aliquando suspēndi, si gravis esset casuum ignorantia.

DE CONCUBINARIIS.

Placuit Sanctae Dioecesanae Synodo, ut qui-cunque Praelati, Canonici, Parochi aut alii Dioe-

cessis Luceoriensis Sacerdotes aut Clerici concubinas, aut mulieres suspectas scandalosasve ubicunque detinere, aut cum eis ullam consuetudinem habere auderent, isti a nobis nostrisque legitimis successoribus puniantur poenis canonicis et fructuum ac proventuum privatione et excommunicationis gladio, **denique sine strepitu et figura judicii, et sola facti veritate inspecta;* non habentes vero beneficia et pensiones: poena carceris, suspensione ab Ordine, ad beneficia inhabilitate, aliisque juxta Sacros Canones modis ¹⁾). ***Non obstantibus quibuscumque diversis constitutionibus, aut aliter contra tales procedendi consuetudine provinciali vel dioecesana.*

**Non videtur fieri posse excommunicatio sine figura judicii, siquidem jura praecipiunt ut excommunicatio fiat in scriptis et trina admonitione praemissa. Quantumvis enim enorme sit crimen, nisi homo ille post trinam monitionem contumax inveniatur, non debet excommunicari.*

***Delenda merentur nunc cum Provinciale decretum intercesserit.*

DE INCORRIGIBILIBUS TOLLENDIS.

Quonia[m] a multis dubitatum hucusque fuit, utrum Parochi incorrigibles in tanta Sacerdotum

¹⁾ In Synodo provincie a. 1589 leguntur eaedem poenae, totidem fere verbis pronuntiatae.

penuria tolerandi potius aut tollendi sint: Sancta Synodus zelo Dei gloriae et honoris Christi amore, at Ecclesiae Catholicae bona fama, aliisque gravissimis rationibus adducta, decrevit: Parochos, seu quoscunque Clericos incorrigibiles, ab Episcopo tollendos potius, non tolerandos esse, neque Parochorum aut Sacerdotum quenquam scandalizari eo nomine debere, si contra incorrigibiles tam severe processum fuerit.

DE PAROCHORUM VICARIIS atque aedificiis.

Ut Parochi nostri mensam habeant communem pro Ecclesiae atque Scholae Ministris, praecipere nolumus istis praesertim, quibus decimae non persolvuntur vel maxime sunt tenues et insufficientes; consilium autem damus tanquam a Domino in hac Lucoensi Sede constituti, ut simus fideles. Modus autem is est. Omnes Ecclesiae atque Scholae reditus conjungantur in unum, et Ministro cuiilibet certum assignetur salarium, habeaturque et domus sub eodem tecto Parochi atque Vicariorum; seorsim autem cocti seu honestae coctrices et familia. Nam sic tabernas cavebunt, et otium et tentationes carnales; Vicarii non fovebunt coctrices in sejunctis domunculis. Sacerdos a laico non quaeret panem, atque ita non facile illum qui indignus sit, absolvet. Gratiam Dei omnes conser-

vabunt et in ea proficient, eritque quasi seminarium ibi, ubi in gratia Dei, et charitate mutua semper vivetur.

DE BENEFICIORUM PLURALITATE.

Quicunque plura curata aut alias incompatibilia Beneficia obtinent, illis omnibus et singulis in Dioecesi nostra districte praecipimus, ut in spatio sex mensium a publicatione praesentis nostrae Synodi computando, Dispensationes suas nobis in loco residentiae nostrae aut ubi tunc in Dioecesi nostra feliciter cum Curia nostra versabimur, exhibeat. Quod si forte, justo impedimento cessante, nullam Dispensationem infra idem sex mensium tempus exhiberi contigerit: omni ratione curabimus, ut Patroni ejusmodi Beneficia libere aliis Sacerdotibus idoneis, qui velint residere, conferant. Quia qui in hoc temporis spatio Dispensationem suam non ostendent: eo ipso, juxta Sacrorum Canonum constitutiones, tale Beneficium illicite detineri constabit.

DE RESIDENTIA.

Qui in Beneficiis suis non resident, ultra poenas quibus in foro contentioso afficiuntur, mortalis peccati reatum incurront et nihil habent juris in fructibus rerum ecclesiasticarum; et si dictos fructus recipiunt, restituere tenentur. Nam

reditus Ecclesiarum sunt stipendia servientium. Nostrum ergo erit Sacrosancti Concilii Trident. de non residendo decreta tanto diligentius exequi, quanto plus in Dioecesi nostra experimur maximum inde sequi animarum interitum. Beneficia siquidem tenentes, et in eis non residentes, quales quales substituunt Vicarios; indeque denegantur non laborantibus Dicimae, crescunt et augmentur haereses, in rebus Divinis sacrilegia, etc. Quantum certe in nobis erit, et non Residentiam inpugnabimus, et superflua Beneficia cohíebimus.

DE HABITU ET TONSURA CLERICORUM.

Oportet Clericos vestes proprio congruentes Ordini deferre, ita ut nec splendide, nec sordide vestiantur, quia nec affectatae sordes, nec exquisitae munditia laudem pariunt. Sic vestis interior et exterior ex harassio et panno mediocri simpliciter facta, ad talos usque fluat. Barbas nimis prolixas habere caveant, et lanuginem excrescere non permittant. Tonsuram seu coronam Clericorum gestent, cuius forma latius circumscribi debet, ut quisque in altiori deinceps Ordinis gradu collocaatur. Qui autem vestitum et tonsuram suo Ordini et dignitati congruentem, praesenti decreto monitus, non detulerit: eum per suspensionem ab Ordinibus primum, deinde a fructibus, redditibus et preventibus ipsorum beneficiorum; si autem ita correptus,

in hoc denuo deliquerit, etiam per privationem
beneficiorum coercebimus.

HORAE CANONICAE.

Omnibus Clericis Dioecesis nostrae mandamus, ut Horas Canonicas ex Romano Breviario recitent quicunque aut in Saeris sunt, aut beneficium ecclesiasticum habent. Qui vero usque adhuc Breviaria Romana non habent, omnino curent, ut illud infra tres menses, a tempore dimissae Synodi computandos, sibi comparent. Negligentes arbitrio nostro punientur. Dum autem oratur (etiam in Missa), non praecepitur ita sermo, ut aut dictiones integrae non exprimantur, aut non exspectetur finis versuum; studeantque omnes quantum possunt, quae dicunt intelligere, et retinere inter orandum attentionem, considerando personam, rem atque verba. Quam etiam ob causam praevideatur semper de quo, et quomodo dicendum sit Officium.

CANTUS.

Cantus in Ecclesia neque clamorosus, neque depresso sit nimis, congruatque rei, temporis, atque festis. Caveatur etiam dictionum repetitio et notarum choraliū in figuratas resolutio (ut quidam in *Salve Regina* faciunt), et voce diversa cantillatio; sed ita cantetur, ut textus subscriptus est notis. Et figuratus cantus fiat talis, qui Divino cultui sit conveniens.

*nabrania nullam
spicu figuratu
tenore u nus velig
meroratu (?)
2 foliorum num
4. A. H. Chodzinski
Org. Gloria i muzolla
(Wrocław 1902)
p. 160 n. 1.*

LIBRI CLERICORUM.

Parvus Catechismus ante omnia sciatur. Breviarium Romanum ante Subdiaconatum ante omnia habeatur. Presbyteri futuri habeant Missale Romanum et Directorium Confessarii Polanci. Postea carentur haberi: Concilium Trident., Index librorum prohibitorum, Catechismus Romanus, Confessorum Manuale Navarri, Instructorium Conscientiae Ludovici Lopes, Armilla aurea Fumi etc., secundum captum et profectum cujusque Sacerdotis.

JUDICES TRIBUNALIS.

Contributio totius Cleri in Dioecesi nostra pro Tribunalni Regni, omnique ratione moderanda est, habito respectu illorum, qui parvos fructus recipiunt; sed is, qui mitti debet, ut etiam ex Capitulo nostro mittatur, curandum erit.

DE ARCHIPRESBYTERIS

seu

Decanis Ruralibus.

Decanorum Ruralium institutionem antiquissimam, et in Synodo Provinciali debita cum reverentia susceptam, aliorum Episcoporum exempla secuti, in Dioecesi nostra suscipimus et amplectimur, rem certe longe utilissimam et ad gubernandas Ecclesias pernecessariam. Efficacius enim coelestia mandata gerimus, si nostra cum fratribus

onera partiamur; si quidem mutuis laboribus omnia fiunt et jucundiora et leviora. Itaque et nos piis Summorum Pontificum Decretis, et Provincialibus nostris Constitutionibus ¹⁾ cohaerentes: Decanos Rurales constituimus, eosque in partem nostrorum in Spiritualibus laborum vocamus, ut ii nobiscum non solum vulgi solicitudinem gerant, verum etiam Presbyterorum, qui per minores Ecclesias habitant, vitam jugi circumspectione custodiant. Ministerium autem Decani Ruralis in eo constituitur, ut jubente Episcopo vel Archidiacono, Parochos suos singulis annis bis convocent, et cum iis (praemisso prius Sacro de Spiritu Sancto et aliqua brevi adhortatiuncula facta) Synodus suam celebrent.

Nihil quicquam in hac Synodo contra Episcopi Decretum ordinare praesumant, sed de scandalis e media plebe tollendis, de occurrentibus Ecclesiarum suarum negotiis Decano presidente consultabunt.

Sacerdotes scandalosos ipsi Decani, ut in viam redeant, vitamque sua vocatione dignam agant, graviter monebunt. Si autem scandala majora sunt quam ut iisdem Decanus obyiam ire possit,

¹⁾ Synodus provinc. anno 1561 jubet Episcopos renovare saluberimam Decanorum institutionem, a multis annis in hac Provincia neglectam.

ea Archidiacono, Archidiaconus autem Reverendissimo (*scil.* Episcopo) deferat.

Archipresbyter ad visitandas Parochias sibi subjectas Archidiacono visitanti socium se addere tenetur, exequeturque ea quae in visitatione Parochis ab Archidiacono praecipiuntur.

Quosunque processus Ordinarii per Dioecesim mittunt, eos Decani suis Parochis ordine servato transmittere, et executioni opportune mandare curabunt.

Apostatas in suo tractu nullo modo vel concionari, vel Confessiones audire, aut denique Sacramenta administrare patiantur.

Hortentur Parochos, ut pro redditibus sibi ablatis, occupatis et impeditis, jure experiantur, authoritatem Rimi Dni Episcopi promittendo.

De Parochorum proventibus inquirant, librumque omnium Parochiarum sibi subjectarum habeant.

An aliquid ab Ecclesia alienatum sit, a quo tempore, et per quem, diligenter investigent, Privilegiaque ipsarum et erectiones, fundationes quaseunque habent authentice descriptas, Rmo (*scil.* Episcopo) mitti current.

Denique diligenter investigent et animadvertant, qua quisque diligentia Parochus aut ejus Vicarius Commendariusve opus Divinum exerceat.

Podlassiam itaque in tres partes (Janów, Mielnik et Sarnaki) antiquitus ab Antecessoribus nostris distributam, in eum qui sequitur ordinem redigimus.

In Mielnicensi primus Decanus ex infrascriptis Parochiis, Reverendissimi arbitrio eligendus aut amovendus, istis praerit Ecclesiis: Mielnik, Siemiatycze, Drochiczyn, Ostrozany, Sledzianowo, Granne, Pierlejowo, Pobikrowy, Winna, Ciechonowice, Dolebowo, Dziatkowice, Rudla.

Secundus in eadem Mielnecensi parte Decanus, simili ratione eligendus, his praerit Ecclesiis: Kućzino, Wyszonki, Domanowo, Jabłonia, Dąbrówka, Długa Dąbrowa, Jabłonka, Wysokie, Kulesie, Brańsko.

Tertius in eadem parte Mielnecensi Decanus istis praerit Parochiis: Płonka, Soraz, Poświętne, Pietkowo, Topiczowo, Wyski, Bielsko, Narew, Kleścze, Boczki, Lubino, Sokoły, Kobylino, Tykoczin, Waniewo.

In secunda Dioecesis Podlassiensis parte primus Decanus his praeerit Parochiis: Janów, Staw, Wysokie, Mrozowicze, Wystych, Sielcze, Czarnaczicze, Kamieniec, Pruzona, Bezdzic, Sychmewicze, Kobryń; Miekorzice, Wielenino, Biercza vacant.

Alter Decanus secundae partis, eodem modo eligendus, has gubernabit Ecclesias: Brzeście, Koden, Hosczą, Lomazy, Rososze, Woyn, Międzyrzec,

Biała, Horodzisze; Malowa Góra, Gielesnicza,
Horbów vacant.

In tertia Dioecesis Podlassiensis parte primus ^{III}
Decanus has custodiet Parochias: Loszice, Sarnaki,
Hadinów, Mordy, Suchozebry, Krzeslino, Magobody,
Wyrozęby, Przesmyki, Paprotnia, Knichowo,
Skrziszowo, Górkki Niemojki, Wyskowo, Jarnicze.
Hae quatuor vacant.

In eadem tertia Dioecesis parte Decanus secundus ex infrascriptis Parochiis Reverendissimi
judicio eligendus, shilicet has gubernabit: Międzylesie, Skibniewo, Jabłona, Prostinia, Rozbytkamień,
Kożuchowo, Kossowo, Czerwonka, Kadłuby, Styrinia,
Żembrowko, Nieczecza, Wagrow, Starawies,
Sokołów, Jarnicze vacant.

SEMINARIUM.

Quid a Sacerdotibus requirat Deus, videmus;
experimur autem, quid nobis in tota Dioecesi
desit. De Seminario itaque omnibus nobis, ut
vult Sacrosanctum Concilium Trident. Sess. 23 c.
18 de Refor. ¹⁾). Interim, quantum possumus,
fovebimus et Sacerdotes et Ordinandos, qui refor-
matione doctrinaque indigent.

¹⁾ Intellige vocem non expressam: *deliberandum*.
Hic filum sermonis videtur esse interruptum; quae sequuntur, conclusionem deliberationis continent. Insuperabilia
certe impedimenta piam intentionem Episcopi distulerunt.

SESSIO II.¹⁾
celebrata 28 Februarii.

Haeresi Poloniae Regnum infectum esse, omnes cum ingenti piorum Catholicorum dolore scimus; debetque nobis esse curae, ut ad ovile unum reduci queant. Interest ergo nostra scire nomina nobis subditorum, qui aut haeretici sint, aut Ecclesias profanaverint, neglexerintve; atque Parochianos quisque suos Nobiles qualis quisque sit, nobis referat.

Prima mentio Seminarii Dioecesani occurrit in Actis Illmi Stanislai Gomoliński, Episcopi Luceorien., qui loco sex Mansionariorum e Clero saeculari ad ecclesiam S. Joannis Bapt. Janoviae habitantium, PP. Praedicatorum induxit die 25 Sept. 1602 a. cum obligatione Vice Custodem in cura animarum juvare, et Professorem ad docendam Theologiam pro Seminario Dioec. Janoviensi alere, semperque in promptu habere. Hoc ipsum Seminarium antea vocabatur Łosicense. Cum tamen de initii et statu ejus vix aliquid certi erui possit, merito Illm. Stanislaus Witwicki Episcopus tanquam primus Seminarii Janoviensis auctor celebratur. Hic enim a. 1685 die 27 Junii Litteris patentibus, Varsaviae datis, Seminarium Clericorum in communi viventium in residentia episcopali ac arce Janoviensi fundavit, assumptis directoribus Presbyteris saecularibus Congregationis Venerab. Bartholomaei Holzhauzer.

¹⁾ Potius *Sessio III*, ultima die celebrata. Lege dicta in Praefatione.

ECCLESIASTICAE JURISDICTIONIS

violatores, et bonorum Ecclesiae locorumque piorum usurpatores.

Quicunque mala cupiditate adductus, Jurisdictiones, bona, res, jura, fructus et redditus injuste ac quocunque colore quaesito, in proprios usus convetere atque sibi usurpare aut impedire praesumpserit: is ex Sacrosancti Concilii Trident. decreto anathemati est subjectus, donec usurpata et impedita restituerit, vel expediverit. Ergo nullus Parochus Dioecesis nostrae audeat talium Confessiones audire, nam et restitutio hic necessaria est, et est casus Bullae Coenae Domini.

DE CONCIONIBUS.

Qui concionantur sedulo current, ut ad salutem necessaria doceant, et catechistica praincipue explicit secundum captum suum et auditorum suorum; satisque est apud plebem rudem breviter exponere ut Evangelii sententiam, sic et historiam festi, reliquum autem horae detur his quae ad Catechismum intelligendum pertinent. Detur ab omnibus opera, ut pueri scholastici recitent ita Catechismum in tempo, ut fit in Parochali Ecclesia Janoviensi, assuescatque populus diebus Dominicis atque festis saepe venire in templum; propter Divina enim officia et salutaria discenda, non propter tabernas et otium, festa instituta sunt. Sit

etiam decens cathedra pro Concionibus, Christum ipsum semen suum seminantem honorando. De Bulla Coenae Domini servanda est Constitutio Synodi Provincialis (an. 1577), libro ultimo Cap. 30.

DE CONFESSIONIBUS.

Nullus Parochus audeat quem ad audiendas suorum Confessiones admittere, nisi a nobis beat administrationem seu approbationem in seripto; neque Sacerdos ullus confiteatur cuiquam, nisi taliter ab Episcopo approbato et per Decanum Ruralem assignato. Sit autem sedis pro audiendis Confessionibus decens. Bullam Coenae Domini ut habeant omnes Confessarii, casusque in ea reservatos ut teneant, ipsa eadem Bulla praecipit.

Sciant autem et discant Confessarii quomodo audiendae sint bene Confessiones, et quibus aliquando deneganda est absolutio. Non sunt enim absolvendi qui peccata mortalia nolunt relinquere, aut occasiones eorum probabiles. Tales sunt communiter otiosi, ebriosi, libidinosi, jejunia violantes, festa non sanctificantes, alienum reddere nolentes, et superstitiones variae muliercularum, praeter illa quae contingunt rarius.

DE SACRAMENTIS.

Magna cum reverentia et animi devotione ad Sacraenta suscipienda populus accedere debet.

Per sanctissima enim Ecclesiae Sacraenta omnis vera justitia vel incipit, vel copta augetur, vel amissa recuperatur. Itaque debent omnino omnes Sacerdotes et scire quid sint Sacraenta, et ita vivere discereque, ut sancta sanctis sancte administrent.

Doceatur autem populus, nominatim vero obstetrices

DE BAPTISMO.

Ut sciant baptisare in necessitate. Baptismo dimitti infantibus peccatum originale tunc, cum ad aquam adduntur verba illa: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Adultis autem opus esse et fide catholica, et pro peccatis poenitentia, et sincera baptisandi voluntate.

DE CONFIRMATIONE.

Doceatur populus ne hoc Sacramentum negligat, sciatque suscipere digne. Item, hoc Sacramento dari Spiritum Sanctum ad omnes superandas tentationes tunc cum ad Chrisma adjunguntur illa verba: *Consigno te signo Crucis, confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Sed opus est esse sine mortali peccato.

DE EUCHARISTIA.

Doceatur populus praecipue, ut Missa omnibus festis audiatur integra (praeter alia quae ex Synod.

devotione facienda sunt), utque omnes Sanctam Communionem sumant in Pascha. Item, in Eucharistiae Sacramento Corpus et Sanguinem tunc fieri, cum in persona Christi Sacerdos dicit: *Hoc est Corpus meum, et Hie est Calix sanguinis mei.* Doceat Christum Dominum nobis dedisse haec tum propter Sacrificium novae legis (quod in Missa fit in Canone minore, et post *Sanctus* et post Consecrationem), tum propter Communionem. Item, Sacrificium hoc offerri Deo pro peccatis Catholiconrum tam vivorum quam mortuorum, postulando et alia bona, agendoque gratias. Per Communionem vero dignam dari nobis vitam animae, ut semper sana sit atque vivat in aeternum.

DE POENITENTIA.

Ut saltim attriti sint in Confessione, infirmi vero cupiant habere Confessarium. Item, sciant Poenitentiae Sacramento dari remissionem peccatorum dum Sacerdos verba absolutionis dicit: *Absolvo te a peccatis tuis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Sed videnda sunt hic a Sacerdote Censura et Irregularitas, cavendumque summopere ne impoenitenti detur absolutio; apud Deum enim id non valeret. Oportet igitur confitentem habere tres illos actus poenitentis, qui sunt partes Poenitentiae: Contritionem aut saltim attritionem, Confessionem, Satisfactionem. Contritio dolet pro pec-

catis et proponit bene deinceps vivere ex dilectione in Deum filiali; Attritio autem aliam ob causam. Confessio peccata omnia confitetur integre. Satisfactio alia est Christi, alia nostra et Deo et proximo-

EXTREMA UNCTIO.

Detur dum fieri potest omnibus de quorum vita dubitatur. Doceant, Extrema Unctione dari infirmo gratiam, qua in ultima pugna maxime opus habet, daturque poenitenti tunc cum Oleo Sancto adjunguntur illa verba precatoria: *Per istam Sanctam Unctionem indulgeat tibi etc.*

MATRIMONIUM.

Moneant praecipue Parochi, ut Matrimonium contrahentes accedant ad hoc Sacramentum sine peccato mortali.* Illicita autem connubia atque cohabitationes separantur. Item, sciant qui Matrimonio sibi junguntur, tunc se se accipere particularem statui suo gratiam, cum illa verba proferunt: *Accipio te in uxorem; Accipio te in virum,** etc.*

* Essent etiam, antequam contrahant, exhortandi ad Confessionem, prout monet Concilium Trident.

** „Ubi Parochus viro“ etc, ut in Trident¹⁾.

¹⁾ Illius Rozdrażewski offensus fortasse verbis innuentibus opinionem contrahentes esse ministros Sacra-

O R D O.

Ordinandi proponant Deo sincere servire propter ipsius gloriam principaliter, postea vero propter suam et suorum salutem. Sciant, in Ordine cum potestate dari gratiam singularem Subdiaconis primum, Diaconis deinde, et ad extremum, Presbyteris, si modo et hi ad Sacramentum hoc digne accesserint animo bono, vitam habentes bonam, discentesque necessaria suo sacro Ordini.

Ut velint et possint ac sciant parentes, tam corporales quam spirituales, bene educare suos filios; ideo Christus et Matrimonio et Sacerdotio addidit Sacramentum, idemque fecit cum Poenitentia propter adjuvandos illos, qui veram Contritionem non habent.

M I S S A.

Quanquam de Sanctissimo Sacrosanctae Eucharistiae Sacramento multa Concilium Trid. (Sess. XXII. cap. 2, 4, 5), habet, quae nos volunt sancte celebrare et audire Missas; tamen speciatim opus est quibusdam Admonitionibus.

menti matrimonii, adducit verba Concilii Trident. Sess. XXIV c. 1. de reform., quae dubium quidem non dirimunt, mentionem tamen faciunt Sacerdotis benedicentis nuptias per verba recepta in ritu uniuscujusque Provinciae.

Dum Cantus non haberetur is, qui in Romano Missali aut Breviario notatur; in necessitate canatur more antiquo, aut simile quid ex Romano sumatur. Successu tamen temporis curandum erit, ut ritu Romano fiant omnia.

Kyrie. *Fons bonitatis, vel virginitatis amator, vel magnae Deus potentiae, vel surrexit Christus a morte,* non interjificantur; sed solum tantum *Kyrie eleison, Christe eleison* exprimatur. Usum autem Ecclesiae secuti, *Eleyson faciamus trisyllabum, et Christe atque Kyrie dicamus expresse,* quemadmodum et *Paraclytus, et Domine, Dominum* cum eadem Ecclesia dicere solemus. Potest etiam more veteri cantari et *Kyrie, et Ite missa est,* et *Benedicamus Domino,* donec quid aliud fuerit ordinatum a Synodo, maxime Provinciali.

Gloria in excelsis Deo semper in Missa B. Virginis dicatur, et in Adventu, et in Quadragesima; omittantur autem interjecta illa: *Mariam sanctificans* cum caeteris, quemadmodum et alibi *Altissime post Jesu Christe adjectum.*

Epistolam rudis Sacerdos cantaturus imo et lecturus, domi prius discat sensum distinguere et decenter cantare, sicut et Evangelium; observeturque hoc quam diligentissime. Sic et reliqua in Missa praevideantur, ne quod scandalum fiat audentibus.

Halleluja canantur duo ante versum unum;
postea

Sequentiae illae tantum canantur, quae sunt in Missali Romano. In Missa autem *Rorate*, si ritu Provinciae placeret cani: *Mittit ad Virginem*, verba subjunctivi modi ne mutentur in indicativa attendendum est; nam sensus ita procedit: *Mittit ad Virginem Amator hominis*, quem? Fortitudinem suam (s. Gabrielem) Archangelum. Cur? ut expadiat, faciat, superet, regnet et imperet et tollat, terat, calcet, ejiciat atque faciat. Neque *Ave Hierarchia* propter populum, in avita devotione retinendum prohibemus. In medio autem Sequentiarum Paschae et Pentecostes, quae canuntur polonice¹⁾, nihil erroneum indecensque habeant. Et haec, sicut et aliae Cantilene polonicae, praesertim vero quadragesimales de Passione et de Compassione B. Virginis, corrigendae nobis erunt suo tempore.

In **Credo** ne dicantur: *Natus ex Maria*, et *ex Maria pura Virgine*.

Praefationem et **Pater noster** cum aliis adjunctis optimum est notâ Romani Missalis cani; non prohibemus tamen id fieri more Provinciae nostrae, maxime propter non Musicos.

¹⁾ Intellige *in choro*. Fortasse loquitur de cantico: Przez Twoje święte Zmartwychpowstanie, vel Ducha zesłanie.

Ante **Sanctus** praemitti **Veni Sancte Spiritus** prohibemus omnino, finitaque calicis elevatione sit silentium * ideo, ut omnes Missae auditores tunc maxime orent apud Corporis et Sanguinis Domini Sacrificium pro vivis et pro defunctis.

* Non videtur absurdum, si interdum ab elevatione usque ad *Pater noster* aliquid cantetur, quo populi devotio excitetur.

Benedictus autem, **Mariae filius** permitatur Scholasticis pueris, dum figurate id pulchre apud Missam Rorate canunt, quemadmodum et cantilena polonica, quae tunc adjungi ab illis solet. Excitat enim et cantus et coeremonia devotionem.

Ite missa est totum cantetur versa ad populum facie. Post *Ite missa est* et dicto *Deo gratias*, ne addatur a Schola: *Sit nomen Domini benedictum in saecula*. Non debet enim addi quidquam. Et audienda est Sacerdotis benedictio dicendo: *Amen* ¹⁾.

OFFICIUM DIVINUM.

Recte hoc Missae cantandae subjungimus. Ergo Officium B. Virginis legatur ibi ubi cantus haberi nondum potest. Nam reformatum debet omnino ubique cantari secundum Bullam Pii V. * Sic et cum Matutino Nativitatis Dni facere licebit, donec cantum acquiremus.

¹⁾ Confer *Reformationes generales ad Clerum et populum Dioec. Crac. Mart. Szyszkowski Eppi*, an. 1621 c. 21.

46 Gott sei
geLOBt u gebeyt
der ewig
seine Leute
u Hoff v. Fulleral
P. 204522
Neujahrswünsche

* Officium Beatissimae Virginis neque recitari, neque cantari debet ex p[re]cepto, etiam post bullam Pii V., nisi ubi est consuetudo, alias tantum est de consilio.

In Responsorio Corporis Christi: *Homo quidam fecit* nihil interjiciatur, sed contractis notis: *Quia parata sunt omnia*, hoc tantum exprimatur omissis illis: *Omnibus firmiter credentibus*. Sic et in aliis fiat; graviter namque prohibet Ecclesia mutare quid in tradito nobis Officio Romano.

MATRIMONIUM.

Publicato atque explicato SS. Concilii Trident. de Clandestinis Decreto, post 30 dies a publicatione nullum valet Matrimonium, nisi quod Sacerdos potestatem habens, modo praescripto celebaverit. Et quoniam in hac Synodo nostra omnes Podlassiae Parochi uno ore ajunt: Decretum illud de Clandestinis in suis Parochiis et publicatum et explicatum esse (nam sola publicatio sine intellecta explicatione, ut nobis quidem videtur, non obligaret, propter illa quae praecesserant: current publicari et explicari; et quia publicatio sine intelligentia ejus nihil valere videtur); ideo debet in Podlassia Decretum illud observari.

PROSTINENSIS ECCLESIA.

Prostini Ecclesiae duae aedificatae sunt: SS. Trinitatis et S. Annae ex revelatione mulieris conju-

gatae, habentque miracula conscripta, et a Car.¹⁾ indulgentias. Indulgentias esse veras, non est dubium. Revelatio autem et Artemesia ei addita in signum, an vera certaque sit. Miracula quoque quae ibidem fiunt, nostro Episcopali reservamus judicio. Nos enim, Ecclesiâ illâ visitatâ, simul atque de illa revelatione atque miraculis aliquid compertum habuerimus, adhibitis in consilium Theologis et aliis piis viris, ea faciemus quae veritati et pietati consentanea judicaverimus. Indulgentiae cum bono usu retineantur, et pia sit templorum pagi illius visitatio. Interea de revelatione illa nihil Parochus populo commemorabit.

Non permittat autem Parochus audire quenquam ibi Confessiones; nisi a nobis in scripto nominatim approbatum, vel parochiale beneficium habentem. Neque Missarum celebratio concedatur cuiquam, nisi qui habeat bonum testimonium.

Sic etiam semper explicetur aperte ad Ecclesiastis illas venientibus, quid faciendum sit illis qui volunt indulgentias consequi²⁾.

Sacerdotibus autem illis tantum, quibus ibi

¹⁾ Forsitan loquitur de aliquo Nuntio Cardinali, a quo ecclesia Prostinenensis obtinuit Indulgentias.

²⁾ Periodus haec vel in fine articuli, vel in fine primae periodi post verbum *commemorabit* ponenda est; secus enim ordo sententiarum mutatus esse videtur.

Missam dicere licebit, si quid insuper offeratur, qua conditione et quam ab causam id fiat, cognoscant ex his qui offerunt, satisque faciant ut fuerit postulatum.

FESTA ET JEJUNIA.

Perutile etiam, imo pernecessarium est tradere quaedam de festis atque jejuniis, et ponere ea in brevi Calendario.

Festis abstinentium est a laboribus inusitatis audiendaque Missa integra, in qua et agantur Deo gratiae, et pro vivis atque defunctis oretur. Messis tamen tempore, propter damna in fructibus ruralibus evitanda, Ordinariis et Parochis concedere licentiam laborandi Leo papa concessit, in Statutis provincialibus fol. 139. [Editio Stanislai Karnkowskii, Crac. an. 1579].

In festis autem celebrandis, et quo tempore inchoanda sint, consuetudo valet maxime, studendumque tunc praecipue pietati christianaee.

De jejuniis similiter doceatur populus de omnibus, quae ad agendum pertinent, ut sciant quomodo et a quibus violetur jejunium, quidve a jejunio multos excuset. Nam generaliter loquendo, die jejunii coenare non licet; licet autem in necessitate et propter impotentiam ob majusque bonum. Potus vero quandocunque opus est, non prohibetur. Jejunium Ecclesia a media nocte observat.

Obligant etiam illa, quae servantur alicubi ex consuetudine. Quam quidem ob causam cupimus, ut sic feria quarta abstineatur a carnibus, ut fit Sabbato, * eo quod consuetudinem hanc fuisse ex omnium fere Parochorum, qui hic in Synodo adsunt, testimonio, in Dioecesi nostra Luceoriensi deprehenditur. Indultum autem Sedis Apostolicae, quod Nuncius Synodi provincialis attulerat, conditionale est. Si dicimus: pisces desunt, cur ideo non violamus Sabbatum?

* Alia est consuetudo de jejunio Sabbati, et alia de jejunio feriae quartae. Illa enim semper reputata est, et reputatur etiam nunc necessaria, kaec autem minime. Itaque cum in tota Lituania, Prussia, Masovia et Polonia jejunium feriae quartae servetur tantum ex consilio, idque non ab omnibus, non est cur in hac sola Dioecesi injungatur praeceptum.

Quatuor Temporum jejunia ex praecepto sunt. Cibis autem lactariis uti in Pentecostes vigilia, et in Quatuor Temporibus illis consuetudo permittit, sed non coenandum est et tunc. De Quadragesima autem, et de Rogationibus, in Calendario jam ecce dicetur.



CALENDARIUM
DIOECESIS LUCEORIENSIS
de festis et de jejuniis.

JANUARIUS.

Circumcisio Domini.

Ab. In. Juniper. De strena in Nativitate Domini scandala et ebrietas amoveantur.

Epiphania Domini.

Benedictio auri et thuris et mirhae ne sit superstitionis cavendum, * praestatque eam omittere, et Agnus Dei potius uti.

* Si non est superstitionis benedictio herbarum in die Assumptionis, et benedictio candelarum in die Purificationis, cur superstitionis erit benedictio auri et mirhae et thuris in festo Epiphaniae? Non ergo videatur praestare, ut omittatur.

Agnetis.

FEBRUARIUS.

Purificatio Mariae.

Vigilia ex consuetudine. * Benedictionis Caereorum ratio explicetur ex Romano Missali, bonumque est morituris accendi caereo, ut Christum, lumen, prae oculis habeant.

* Non obligat haec consuetudo ad hanc Vigiliam jejunandam, cum non solum extra Poloniam nusquam jejunetur, verum etiam nec in Lituania, Prussia, Masovia, Polonia etc. jejunium hoc auditum sit. Itaque quorundam devotorum consuetudo, non debet praeceputum efficere ¹⁾.

¹⁾ Fallitur Illmus Rozdrażevius, nam praeter jejunium de pracepto in Vigilia Assumptionis BMV., in aliis Vigiliis ejusdem Gloriosissimae Virginis jejunium de consuetudine semper observabatur tam in Polonia, quam in Lithuania et Prussia. Exemplo sit Synodus Varmiensis a. 1497, quae habet: „Vigilia Assumptionis BV. ex pracepto Ecclesiae, caeterae Vigiliae Virginis Gloriosae regulariter de consuetudine... jejunantur.“ Eadem habet Synodus Rudniciana a. 1612, Vladislaviensis a. 1568, Pastoralis Maciejoviana a. 1602, Vilnensis a. 1717.

Dorothea.

Missa et Concione finitis, licitum sit laborare, ne festa frequentia sint molestia populo. Cantilena autem illa: *Dorothea coronata*, donec repurgetur, ne cantetur in templo.

Mathiae Apostoli.

Cum Vigilia [i. e. jejunio] Apostoli, etiam si in diem ante Cinerum inciderit.

Dum autem festa transferuntur ex die Dominico, laborare licebit populo die illo, in quem festum transfertur.

MARTIUS.*Pridie Cinerum.*

Ne violetur jejunium feriae quartae proximae, Dominicis praecedentibus praemonendus est populus; jejunium enim a media nocte inchoari solet. Fundamentum ergo sanctae Quadragesimae et sacri Cineris apud Missam feriae quartae utiliter sumendi, ante tempus commendentur populo.

Licet autem in Polonia coenare feris tertia et quinta ex veteri catholicorum consuetudine, excepto si Vigilia impediret.

Commendandum tamen est totum 40 dierum jejunium omnibus qui sunt bonae valetudinis et integris viribus. Usus vero jejunii tam longe quam diligentissime explicetur, ut sciant omnes et debere se confiteri et poenitentiam (jejunis, orationibus, eleemosina) agere et communicare propter Passionem ac mortem Domini nostri quam sacratissime celebrandam atque ita mox laetandum et gaudendum in sancto Pascha.

Bulla quoque Coenae Domini

declaranda est populo Dominica prima Quadragesimae, ut Synodus provincialis [a. 1577] in cap. 30 statuit.

Annuntiatio Mariae

celebretur secundum Rubricam Missalis Romani, et a labore cesseretur.

me rura Polonie

Fraulange auct

APRILIS.

*H. Karanis Actus.
missale nov. xv
(Benedictus Karanis 145)*

Paschae dies tres.

Imagine Crucifixi aut Resurrectionis ne abutantur rustici, prohibeanturque severe et vagi eorum discursus, et aquarum mutuae perfusiones, tanquam novarum libidinum causae et certae occasions.

Sic et Ascensionis Domini festo ne dejiciatur sathanas. *(est re religiosa nonne vere?)* *Agendo leviter, in modo
nobis*

Adalberti et Stanislai,

Patronorum Poloniae festa habeant octavam.
Marci Evangelistae.

Processio cum Litanis more solito fiat, et a carnis servetur abstinentia sicut Sabbato, sed non prandeatur ante finem processionis. Quod idem servandum est ante finem processionis, quae fiunt tribus Rogationum diebus ante Ascensionem Domini proxime.

MAJUS.

Philippi et Jacobi,

Vigiliam propter tempus Paschae non habent.
Crucis inventio.

Stanislai, ut in Adalberti.

JUNIUS.

Pentecostes dies tres

cum Vigilia in lacticiniis sine coena.

Quatuor Temporum jejunium,

cum cibis lactariis, ut supra.

Joannis Baptiste

cum Vigilia.

Artemesiae usus popularis rationem non habet,

ideoque curetur aboleri etiam ob superstitionem.

Petri, Pauli.

cum Vigilia.

AUGUSTUS.

Mariae ad Nives

Transfiguratio Domini

non celebrantur, sed Concio tantum, si fieri potest fiat.

Laurentii cum vigilia.

Assumptionis cum vigilia.

Herbarum autem et fructuum benedictio, usum alium non habeat, nisi quem verba benedictionis ostendunt.
Bartholomaei cum vigilia.

SEPTEMBER.

Nativitas Mariae

cum vigilia ex consuetudine. *

* Vigilia Nativitatis Beatiss. Virginis non solet jejunari ex praecepto, imo nec ex consilio ab omnibus jejunatur etiam in his partibus ¹⁾.

Crucis exaltatio.

Quatuor Temporum jejunium.

Usus eorum commodissime hic explicetur, qui est Oratio pro operariis nuntendis et examen conscientiae publicum.

Mathaei cum vigilia.

Stanislai Translatio, non celebratur.

Michaelis,

Angelorum cognitionem ut habeat populus, hoc explicandum est festo.

OCTOBER.

Francisci } non celebre.

Hedvigis }

Simonis et Judae cum vigilia.

NOVEMBER.

Omnium Sanctorum cum vigilia.

Defunctorum omnium.

Non cognatorum tantum, ut vulgus putat, et non celebratur.

Martini Episcopi.

Cantilena de eodem examinanda.

Helisabet, ut *Hedvigis*.

Praesentatio Mariae,

ut Mariae ad Nives, non celebratur.

Catherinae.

¹⁾ Lege notam superius pag. 44.

*Barbarae p. 40.
12. Junii. usque ad 20.*

Cantilena scholastica ne quid vitii habeat, viden-
dum erit.

Andreae cum vigilia.

DECEMBER.

Barbarae, non celebratur.

Concepcionis Mariae

cum vigilia ex consuetudine. *

* Non obligat haec consuetudo ad jejunandam hanc
vigiliam ^{1).}

Quatuor Temporum jejunium.

Thomae cum vigilia.

Ante Nativitatem Domini fiat praemonitio de Vi-
gilia ejus sanctissima, ne a lusoribus atque aleato-
ribus profanetur; ne ciborum monstruosus apparatus fiat

Nativitas Domini.

Rotulae reformatur.

Stephani Protomartyris.

Strenae usus bonus sit et Cantileneae decentes,
prohibeanturque nocturni clamores et vagationes;
nam sathanas et hic, sicut in Pascha, novas libi-
dines excitat. Multo autem magis Sacerdotes caveant,
ne strenae sint eis et aliis in scandalum.

Equis benedicere avenam conceditur, potestque
omitti, sed veniam eis tunc incidere et festum ideo
negligere nullo modo liceat.

Joannis Evangelistae.

Vini etiam benedictio est licita, praesertim secun-
dum Romanum Sacerdotale, licetque et omittere eam.

Innocentium.

Iter tunc non ingredi aut non incipere, quid agen-
dum, vana superstitione est ^{2).}.

¹⁾ Lege notam pag. 44.

²⁾ Ante editam bullam Urbani VIII *Universa*, non habe-
batur in Ecclesia Polona festus dies S. Silvestri, neque etiam
post bullam editam.



